VIRO
PERMAGNIFICO MAXIME STRENVO
GENEROSO ATQVE AMPLISSIMO

DOMINO
DNO. SAMVELI ROGGE

CONSVLI HACTENVS GRAVISSIMO
ET HOSPITALARIO MERITISSIMO

PRAECONSVLARES HONORES

SVB
AVSPICIIS DIVINIS
A
PERMAGNIFICO SENATV

A. R. S. MDCCLVI. D. XXX. MARTII

COLLATOS

HVMILLIMIS MENTIBVS GRATVLANTVR

MVSAE ELBINGENSES

INTERPRETE

GOTTLIEB THOMA ACHENWALL

GR. ET HEBR. LINGV. PROF. EXTRAORD.
ET R. M. C.

ELBINGAE
EX OFFICINA NOHRMANNIANA.

Insigne venerandae antiquitatis monumentum eſt, quod Num. XI, 16. ſeqq. legimus. *Et dixit Dominus ad Moſen: Congrega mihi ſeptuaginta viros e ſenibus Iſrael, quos noviſti eſſe ſenes populi & praefectos eius, acceptosque adduces eos ad tentorium conventus & ſiſtent ſe ibi tecum. Et deſcendam & loquar tecum ibi & ſeponam de Spiritu tuo & ponam ſuper eos, portabuntque tecum onus populi & non portabis tu ſolus.* Niſi aliunde conſtaret ſatis, non eſſe poteſtatem ſ. Magiſtratum niſi a DEO; [a] hoc ſolo facto illud egregie poſſet probari. Sine ordine conſiſtere ſocietas humana non poteſt, nec ordo, niſi ſint, qui imperent & qui pareant. Onus eſt, Magiſtratum gerere, iudicem agere, litigantibus iura dicere, curare ne quid reſpublica detrimenti capiat, legum urgere obſervantiam, leges pro re nata condere novas, coercere malignos, protegere bonos,

parcere ſubiectis & debellare ſuperbos;

Onus eſt, cui in numeroſo populo unius viri humeros impares eſſe ipſe iudicat DEVS. Aequum eſt dividere onus, ut conferri conſilia, ut iunctis manibus emolumenta maiora & facilius effici poſſint. At quod altioris indaginis eſt, ipſe DEVS ſummam reipublicae ſuae curam ſibi reſervat, Spiritum ſuum largitus Moſi, eundem communicat cum ſeptuaginta ſenioribus populi, ut onus impoſitum ferre valeant. Quis ille Spiritus, niſi ipſum Numen ſupremum, Spiritus, qui in DEO eſt, tantis tamque variis donis celebris in republica Chriſtiana? Hoc qui donatus eſt, recte Unctus dicitur; huius ſub auſpicio rebus & recte & feliciter gerundis aptum ſe confidere poteſt. Quid enim magis deſiderari in Magiſtratu poſſit, quam Spiritus ſpontaneus [b] ſeu Principalis, ut quidam [c] interpretantur, Spiritus, qui oleum laetitiae dicitur, [d] Spiritus Domini, Spiritus ſapientiae & intellectus, Spiritus conſilii & fortitudinis, Spiritus ſcientiae & pietatis ſ. timoris Domini? [e]

Apage faſtum ſtoici intolerabilem, qui

ſed ſatis eſt (inquit) orare Iovem, qui donat & aufert,
det vitam, det opes; aequum mî animum ipſe parabo; [f]

Verius Apoſtolus: [g] Quis te diſcernit? Quid autem habes, quod non accepiſti? & Propheta [h] omnia opera noſtra operatus es in nobis.

Differunt

a) Rom. XIII, 1. b) Pſ. LI, 14. c) ita Vulg. LXX. πνεύματι ἡγεμονικῷ.
d) Pſ. XLV, 8. e) Ieſ. XI, 2. f) Horat. Ep. XVIII. g) 1 Cor. IV, 7.
h) Ieſ. XXVI, 12.

Differunt dona, differt mensura donorum, diversus eorum usus est, at idem Spiritus, qui largitur singula & pro lubitu distribuit. Neque enim spiritualia saltem, Ecclesiae aedificandae necessaria, sed & ea, quae Magistratum perficiunt, ab eodem esse Spiritu, hoc illustre factum monet. Mosi, Israelitarum Principi, amico DEI & fideli in universa eius familia servo abundantior concessa erat mensura, pluribus ditandis ita sufficiens, ut ipsi decederet nihil. Seponam, inquit Dominus, de Spiritu tuo & ponam super eos. Ita singuli confirmati eodem Spiritu oneri tanto sufficiebant. Felicem rempublicam quae unius & Optimi Maximi Spiritus nutu regitur, qui, cum sibi ipsi adversari non possit, non sinit animos discordes, sed singulos ad eundem & non nisi ad optimum dirigit finem.

Quis hinc non intelligat, velle DEVM, ut Magistratus, donis illustrioribus ornatus, supra communem sortem positus, legati quasi divini auctoritate splendidus, existimatione, honore & obedientia colatur a civibus subditisque. Parentum loco sunt, qui reipublicae tanquam ampliori familiae praesunt. Parentes vero a liberis vult honorari DEVS. Sponte fluunt omnia apud ingenuos, quo magis paternum animum & divino similem in imperantibus resplendescere intelligunt.

Ast ubi nunc Moses? Ubi tentorium conventus? ubi vox Domini articulate audita? ubi Schechinah de coelo descendens? Extraordinaria, fateor, ista erant, & illorum temporum oeconomiae adaequata, figurae tamen & umbrae, ut reliqua multa, futurorum. Ita agebat olim DEVS cum minorennibus, adultis melior cognitio, maior reservata erat libertas. Moses non adest inter nos, sed est, qui Mose maior est. Servus, fidus ille quidem, decessit, mansit tamen Filius familias, & manet cum Ecclesia ad finem seculi. Ille vere Princeps est Regum & regnantium in terris. [i] Per hunc Reges regnant & legum conditores iusta decernunt, per hunc Principes imperant & potentes decernunt iustitiam. [k] Ab illo unctionem habemus, qui sine mensura unctus est prae consortibus suis. [l] In coelum ascendit & dona impetravit hominibus. Ex eius plenitudine accepimus & accipere licet gratiam supra gratiam. Illi res Christianorum curae sunt, ille dat Pastores secundum cor suum. [m]

Ita mihi videor videre, conferri TIBI, VIR PERMAGNIFICE, MAXIME STRENVE, GENEROSE, AMPLISSIME,

i) Apoc. I, 5. k) Prov. VIII, 15. 16. l) Ps. XLV, 8. m) Ier. III, 15.

SIME, CONSVLTISSIME, fasces Praeconsulares, non ex humano solum arbitrio, sed ita dirigente divina providentia. Habuit hactenus Elbinga nostra, quae DEI benignitas est, Viros eo Spiritu ornatos, qui Mosen olim in Magistratus negotiis agitabat. Experti sumus (tristis recordatio!) fidos in familia DEI servos, Patriae veros Patres, exempla virtutum, Ecclesiae ornamenta, & Musarum praesidia. Habemus adhuc illius gloriae haeredes & aemulos, quos coram laudare modestia eorum vetat. Non dubitamus, ut faciebant olim Israelitae, esse DEVM inter nos. Non dubitamus, ex Eius nutu & voluntate cessisse ita electionem proximam. Communicant, qui TEcum regunt, de suo Spiritu, ut lumen a lumine accenditur. Communicant, at non inexperto, sed VIRO per plura Magistratus munera, ab aliquot annis cum laude gesta, velut per gradus ad altiora ascendenti. Aucta nunc auctoritate, auctis oneribus, macte, VIR GENEROSE, virtutis & meritorum laude, nec minor sit TVO stadio praefixus terminus, quam immortalis gloria.

Impleat TE DEVS Spiritu vere principali, Spiritu spontaneo. Ungat TE porro oleo laetitiae, omnia onerum pondera, omnia rerum discrimina heroice superantis, laetitiae ex fonte salutis fluentis. Splendeat in TE Spiritus Domini, Spiritus Sapientiae & intellectus, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiae & pietatis. Invitaris denuo a Domino, quem summum & aeternum ecclesiae & reipublicae nostrae Protectorem & Conservatorem veneraris; rogaris a civibus, a coetu Christiano, a Musis nostris, accedas ad thronum gratiae cum confidentia, ut exinde omnia, quibus indigebis, abundanter & quotidie accipias. Quae forte minima curarum Tuarum esse possit, ut DEVS det vitam longaevam & quae eam faciunt beatiorem, ista TIBI exorare sedulo sui officii credet quivis virtutum Tuarum aequus aestimator. Benedicat TIBI Dominus, quemadmodum benedicit viro timenti illum. Benedicat TIBI Dominus ex Sion, ut videas salutem Elbingae per longissimos vitae dies, ut videas liberorum liberos & pacem super Israel. [n]

Samuelem habet Elbinga, fausto omine. Crescat Samuel & Dominus sit cum ipso & agnoscat universus populus, Samuelem nostrum etiam vere esse amicum DEI. [o] Orabit Samuel noster pro populo, ut magnus ille Israelitarum Iudex facere solebat; Orabit iterum pro Samuele suo populus, ut ita diu vivere, ita feliciter regere contingat ut immortalis memoriae praestantissimo SAMVELI.

n) Ps. CXXVIII, 4. 5. 6. o) 1 Sam. III, 19. 20.

* * *